



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

In obitu S. Malachiæ Episcopi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

Job. 5. d

visitare speciem dedignentur, maximè quia scriptum est ^h: *Visitabis speciem tuam, & non peccabis.* Cæterum etsi de eis mihi arbitror præsumendum ob spiritualis substantiæ, & rationalis formæ similitudinem, ampliori tamen fiducia ad eos mihi reor utendum quos habere me noverim, & in ipsa humilitate consortes; ut oporteat eos familiarius & specialius misereri ossi de ossibus suis, & carni de carne sua.

2. Quia Sacra-
eorum pigno-
ra id est Reli-
quia penes
nos sunt.

k Gen. 40. c
3. Quia unius
nobiscum cor-
poris membra.

1. Cor. 12. d

4. Quia non
consummandi
sine nobis.

Denique transeuntes ex hoc mundo ad Patrem, sancta nobis pignora reliquerunt. Apud nos siquidem corpora eorum in pace sepulta sunt, quorum nomina vivent in sæculum, id est, quorum nunquam gloria sepelitur. Absit, absit à vobis animæ sanctæ, Ægyptia illa crudelitas pincernæ Pharaonis ^k, qui in gradum pristinum restitutus, statim oblitus est Joseph sancti, qui in carcere tenebatur. Non enim erant unius capitis membra, nec aliqua pars fidei cum infidei, aut ulla societas Israelitæ ad Ægyptum, non plus quàm luci ad tenebras. Interpretatur enim Ægyptus, *tenebra*, Israel verò *videns Deum*: atque ideo ubicunque Israel erat, lux erat. Non sic noster Jesus crucifixi secum Latronis potuit oblivisci: factum est utiq; quod promissum est: ipsa die qua passus est, & conregnavit. Nos quoque si non sumus ipsius capitis membra, cujus & Sancti, unde eis tam solemnibus hodie votis & tanto gratulamur affectu? Cæterum qui dixit ^l: *Si glorificatur unum membrum, congraudent omnia membra*; hoc quoque nihilominus ait, *quod si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*. Hæc igitur nostra & eorum cohærentia est, ut nos congratulemur eis, ipsi compatiantur nobis: nos devota meditatione regnemus in eis: ipsi in nobis, & pro nobis militent pia interventione. Nec est quod de eorum pia erga nos sollicitudine dubitemus, quandoquidem non consummandi sine nobis, sicut supra meminimus, expectant nos usque dum retribuatur nobis: ut videlicet in novissimo die magno festivitatis omnia simul in virum perfectum cum suo tam excelso capite membra concurrant, & laudetur cum hæreditate sua Iesus Christus Dominus noster, qui est super omnia benedictus, laudabilis, & gloriosus in sæcula, Amen.

IN OBITUS. MALACHIE EPISCOPI.

S E R M O.

D E cælo vobis hodie, dilectissimi, copiosa quædam est benedictio destinata: & fideliter eam non distribui, vobis quidem damnosum esset; mihi vero periculosum, cui nimirum hæc dispensatio videtur esse commissa. Timeo itaque damnum vestrum, timeo damnationem meam, si forte dicatur ^a: *Parvuli petierunt panem, & non fuit qui porrigeret illis.* Scio enim quàm necessaria vobis sit è cælo veniens consolatio, quos constat illecebris carnalibus & oblectamentis secularibus viriliter abrenunciâsse. Nemo

a Thren. 4. a
Malachias in
Claram-

In Transitu S. Malachiae Episcopi, Sermo. 423

Nemo sanè beneficii esse coelestis, & superno dubitet consilio diffinitum, ut Episcopus Malachias hodie inter vos obdormiret, & desideratam inter vos haberet sepulturam. Cum enim nec folium quidem arboris sine divino nutu cadat in terram, quis tam hebes, ut non evidenter in huius beati viri adventu & transitu magnum profus consilium supernae pietatis advertat? A finibus terræ, terram hic positurus advenit, alia quidem occasione festinans, quamvis ob specialem erga nos charitatem id plurimum desiderasse noscatur. Multa quidem in itinere ipso impedimenta sustinuit, nec transfretare permissus est, donec appropinquaret tempus consummationis eius, & terminus qui non poterat præteriri. Quem quidem multis ad nos pervenientem laboribus, tanquam Angelum Dei pro reverentia sanctitatis suæ suscepimus; sed nos ipse pro sua mansuetudine & humilitate altius radicata, longè suprâ quàm meremur devoto suscipiebat affectu. Paucos deinde apud nos dies fecit incolunitate sua dum socios præstolaretur, qui dispersi in Anglia fuerant, cum Regis illius vana suspicio Dei hominem impediret. Jámque omnibus ad eum collectis, ad Romanam, pro qua venerat, curiam parabat iter: cum subito infirmitate præventus sensit protinus ad cœleste magis sese palatium evocari, DEO melius aliquid providente pro nobis, ne à nobis egressus alibi consummaretur.

*Vallem venit
singulari Dei
providentia.*

*Brevi narra-
tio peregrina-
tionis eius.*

Nullum quidem in eo non dico mortis, sed vel gravis ægri tudinis signum medicis apparebat, ille tamen exhilaratus spiritu, aiebat omnimodis oportere, ut hoc anno Malachias ab hac vita egrederetur. Laboratum est e contra, & devotis precibus apud Deum, & quibuscunque potuimus modis: sed illius prævalere merita, ut desiderium cordis eius tribueretur ei, & non fraudaretur voluntate labiorum suorum. Sic enim pro votis omnia ei concurrere, ut hunc maximè locum divina sibi inspirante clementia elegisset: & hunc quoque ex longo optaret sepulturæ habere diem, quo fidelium omnium generalis memoria celebratur. Sed & illud nostra hæc gaudia merito cumulavit, quòd fratrum nostrorum ossibus de priore cœmeterio huc asportandis & recondendis, eadem nobis dies auctore Deo fuisset electa. Quæ nimirum deportantibus nobis, & ex more psallentibus idem vir sanctus plurimum sese illo cantu delectari dicebat, & non multo post ipse quoque secutus est somno suavissimo & felicissimo soporatus. Agimus itaque gratias Deo super omnibus dispositionibus suis, quòd indignos nos beatæ mortis eius honorare præsentia, quod pauperes suos preciosissimo corporis eius locupletare thesauro, quod infirmos nos tanta Ecclesiæ suæ voluit fulcire columna. Alterum si quidem è duobus signū istud quod nobis in bonum factum est, persuadet,

*Præcisus mor-
tis suæ.*

*Sepultus in die
commemora-
tione Fidel.
Anim.*

quòd aut placitus DEO sit locus, aut sibi placitum facere velit, ad quem tantæ sanctitatis virum à finibus terræ moriturum sepeliendumque perduxit.

*Dira mors
quæ Malachiam sustu-
lit.*

Cæterum populo illi affectuosius condolere, & eius quæ tam miserabili Ecclesiæ dirum hoc vulnus non peperit inferre, crudelitatem mortis vehementius abhorrere, beati huius Patris charitas ipsa compellit. Diræ profecto & inexorabilis mors, quæ tantam hominum multitudinem unius percussione multavit: cæca & improvida, quæ Malachiæ ligavit linguam, impedivit gressus, dissolvit manus, oculos clausit. Illos inquam, devotos oculos, qui piissimis fletibus divinam peccatoribus reconciliare gratiam consueverunt. Illas mundissimas manus quæ laboriosis & humilibus operibus exerceri semper amaverant, quæ Dominici Corporis Hostiam salutarem pro peccatoribus totiens offerebant; & sine ira & disceptatione in oratione levabantur in cælum; quæ infirmis multa beneficia præstitisse, & signis variis effulsisse noscuntur. Illos quoque speciosos gressus Evangelizantis pacem, Evangelizantis bona; illos pedes qui totiens fatigati sunt studio pietatis; vestigia illa digna quæ semper devotis osculis premerentur. Sancta denique labia illa Sacerdotis, quæ custodiebant scientiam, os iusti quod sapientiam meditabatur: & linguam eius quæ iudicium loquens, imò & misericordiam, tantis mederi solebat vulneribus animarum. Nec mirum, fratres, iniquam esse, quam generavit iniquitas: inconsideratam, quam noscitur seductio peperisse. Nihil inquam mirum si ferit sine discretionem, quæ venit ex prævaricatione: si sit crudelis & fatua, quæ ex antiqui serpentis fallacia, & mulieris insipientia prodiit. Quid tamen causamur quòd Malachiam ausa sit attentare, fidele equidem membrum Christi, quando & ipsum Malachiæ pariter & omnium electorum caput furibunda pervasit: Pervasit utique immunem, sed non immunis evasit. Impegit in vitam mors, & inclusit intra se vitam mortem, & absorpta est mors à vita. Hamum sibi devorans, inde teneri cœpit, unde visa est tenuisse.

*Sed neque
Christo peperit.*

*Quomodo
mors à Christo
superata cum
etiamnum in
homines se-
viat.*

At fortasse quis dicat: Quomodo mors à capite superata videtur, quæ tanta adhuc libertate sævit in membra? Si mors mortua, quomodo Malachiam occidit? Si victa, quomodo adhuc prævalet universis: & non est homo qui vivat & non videat mortem? Victa planè mors opus Diaboli, & peccati pœna, victum peccatum causa mortis, victus & malignus ipse, & peccati author & mortis. Nec modo victa sunt hæc, sed & iudicata jam & damnata. Diffinita quidem, sed nondum promulgata sententia est. Denique jam Diabolo ignis paratus, etsi nondum ille præcepit in ignem, modico adhuc tempore finitur malignari. Tanquam malleus

In Transitu S. Malachiae Episcopi, Serm. 425

malleus caelestis opificis factus est, malleus univertae terrae. Terit electos ad eorum utilitatem, reprobos conterit in eorum damnationem. Quales ergo paterfamilias, tales & domestici eius, peccatum scilicet & mors. Nam & peccatum licet simul cum Christo cruci ipsius non dubitetur affixum, adhuc tamen interim non regnare quidem, sed habitare etiam in ipso dum viveret Apostolo permittebatur. Mentior si non ipse ait ^o: *Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Sic & mors ipsa minimè quidem adhuc abesse cogitur, sed cogitur non obesse. Erit autem cum dicetur: *Vbi est mors victoria tua?* Et ipsa siquidem inimica novissima destruetur. Nunc verò moderante eo qui imperium habet vitae & mortis, & mare ipsum certis littorum coercet metis, mors ipsa dilectis Domini somnus refrigerii est, Propheta attestante qui ait ^c: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini.* Pessima quidem mors peccatorum, quorum & nativitas mala, & vita peior: *sed preciosa est mors sanctorum* ^d. Preciosa planè tanquam finis laborum, tanquam victoriae consummatio, tanquam vitae janua, & perfectae securitatis ingressus.

Diabolo & morti quid juris seu potestatis in homines relinquitur.

o Rom. 7. d

c Psal. 86. a*

d Psal. 115.

Congratulemur itaque, fratres, congratulemur ut dignum est patri nostro: quia & pium est defunctum plangere Malachiam, & pium magis Malachiae congaudere viventem. Nunquid non vivit? Et beatè. Nimirum vilis est oculis insipientium mori, ille autem est in pace. Denique jam concivis Sanctorum, & domesticus Dei psallit pariter, & gratias agit dicens ^e: *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Transivit planè viriliter, & foeliciter pertransivit. Verus Hebraeus Pascha celebravit in spiritu, & nobis transiens loquebatur: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare apud vos. Transivit per ignem & aquam, quem non tristitia frangere, nec detinere mollia potuerunt. Est enim deorsum nos locus, quem sibi totum vendicat ignis, adeò ut ne minimam quidem aquae guttam de Lazari digito miser ille Dives ibi habere potuerit. Est & sursum civitas Dei quam letificat fluminis impetus, voluptatis torrens, calix inebrians quam praeclarus! In hoc sanè medio boni & mali scientia continetur, & voluptatis & tribulationis hic capere est experimentum. Infelix Eva in has vicissitudines nos induxit. Hinc planè dies & nox: nam in inferno tantum nox, & in coelo tantum dies. Beataproinde anima quae utrunque pertransit, nec voluptati inhaerens, nec deficiens in tribulatione.

Malachias in tribus & letis, eque in fractus.

Vicissitudo vitae presentis.

Breviter vobis unum aliquid ex multis huius viri magnificis actibus arbitror referendum, in quo strenuè satis & ignem & aquam noscitur pertransisse. Magni illius Patricii Hybernienfium Apostoli sedem Metropolitanam

*Malachia Ze-
lus pro domo
D E I.*

*Inter pericula
non detrectat
curam Eccle-
siae; post peri-
cula manult
vitæ religiose
quietem.*

*g Eccl. 45. a
b 1. Ioan. 5. a*

*g Psal. 91. b
Plures dejicit
prosperitas
quam adver-
sitas.*

*Plana visa
commodior,
sed aspera
securior.
g 2. Cor. 6. b*

g Psal. 114. b

politana tyrannica sibi progenies successionis ordine creans Archiepiscopos vendicabat, hæreditate possidens sanctuarium DEI. Rogatus itaque à fidelibus Malachias nosfer, ut tantis sese malis opponeret, animam suam in manibus suis ponens accessit intrepidus, suscepit Archiepiscopatum, tradens sese discrimini manifesto, ut tanto crimini finem daret. Inter pericula rexit Ecclesiam: post pericula sibi continuo successorem alterum canonicè ordinavit. Ea siquidem conditione susceperat, ut postquam cessante persecutionis rabie alter securè posset instrui, ad sedem propriam remeare permetteretur. Ubi sine ecclesiasticis secularibusve reatibus in congregationibus religiosis, quas ipse extruxerat, degens inter eos tanquam unus eorum, usque ad hoc tempus vixit absque ulla proprietate. Sic Dei hominem examinavit non exinanivit tribulationis incendium (siquidem aurum erat) sic nec illecebra tenuit aut resolvit: nec curiosus spectator in via substitit propriæ peregrinationis oblitus.

Quis vestrum, Fratres, non vehementer eius imitari cupiat sanctitatem, si id audeat vel sperare? Credo igitur libentius audituros, si dicere fortè poterimus quid sanctum fecerit Malachiam. Sed ne nostrum forsitan minùs acceptabile testimonium videatur, scripturam audite dicentem *g*: *In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum.* Fide calcabat mundum, Joanne attestante qui ait *b*: *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.* Nam in spiritu lenitatis dura quælibet & adversa æquo animo tolerabat. Hinc quidem post Christum fide calcabat Maria, ne caperetur illecebris: inde in patientia sua possidebat animam suam, ne molestius frangeretur. De his enim duobus habes in Psalmo: *cafuros à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*: quod multo plures prosperitatis fallaciæ, quàm adversitatis flagella dejiciant. Nemo itaque nostrum, charissimi, plana mollioris viæ superficie delectatus, iter illud marinum sibi commodius arbitretur. Magnos hic campus montes habet, Invisibiles quidem, sed eo ipso periculosiores. Laboriosior fortè via videtur inter ardua collium, & aspera rupium, sed expertis longè securior & desiderabilior invenitur. Utrobique tamen laborem, utrobique periculum esse noverat, qui dicebat *h*: *Per arma justitiæ à dextris & à sinistris*: ut meritò congratulemur eis qui transierunt per ignem & aquam, & in refrigerium sunt educti. Refrigerium vultis audire? Utinam id vobis alius loqueretur. Nam ego quod non gustavi, eructare non possum.

Videor tamen mihi hodie super hoc refrigerio Malachiam audire dicentem *l*: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi: quia eripuit animam meam de morte, &c.* In quibus verbis quid intelligam, paucis audite. Siquidem inclinata est jam dies, & longius quàm

In Transitu S. Malachiae Episcopi, Serm. 427

quàm speraveram sermo processit, quòd invitus avellar à patèrni dulcedi-
ne nominis & Malachiam filere lingua formidans, finem facere vereatur.
Mors animæ, fratres mei, peccatum est, nisi fortè excidit vobis quod in
Propheta legistis ^m: *Anima qua peccaverit, ipsa morietur.* Triplex
proinde congratulatio est hominis ab omni peccato, & labore, & periculo
liberati. Ex hoc siquidem nec peccatum in eo habitare dicitur, nec pœ-
nitentiæ luctus indicitur, nec ab ullo deinceps lapsu ei prædicatur esse ca-
vendum. Posuit Helias pallium, non est, quod timeat: non est, quod
tangit nedum teneri ab adultera vereatur. Currum conscendit: non est
jam trepidare ne cadat: suaviter scandit, non laborans volatu proprio,
sed celeri in vehiculo sedens. Ad hoc nos refrigerium, dilectissimi, tota
animi aviditate curramus in odore unguentorum huius beati Patris no-
stri, qui nostrum hodie torporem in ferventissimum desiderium visus est
excitasse. Curramus, inquam, post eum crebrius illi clamantes: Trahe
nos post te: & affectu cordis, & profectu conversationis devotas omnipo-
tenti misericordiæ gratias referentes, quòd indignis servulis, quibus pro-
pria defunt merita, aliena saltem voluit suffragia non deesse.

*m Ezech. 18. 2
Hominis san-
cti ex hoc sæ-
culo liberati
triplex con-
gratulatio.*

S E R M O I.

De verbis Esaiæ: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum: & ea quæ sub ipso erant replebant templum. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ alteri. Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius & duabus volabant.*

*Hi sermones
hoc loco ponū-
tur, eo quod
Prophetia E-
saiæ sub Ka-
lend. Novemb.
in officio Eccl.
legi incipiat.
a Isa. 6. 2*

Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum, & plena erat
omnis terra maiestate eius ^a. Sublimis quædam visio Prophetico no-
bis sermone describitur. *Vidi, inquit, Dominum sedentem.* Magnum spe-
ctaculum, fratres, & beati oculi qui viderunt. Quis non toto desiderio
concupiscat tantæ maiestatis gloriam contemplari? Hoc quippe Sancto-
rum omnium unicum semper desiderium fuit. Ipse est enim in quem desi-
derant Angeli prospicere, quem videre est vita æterna. Sed aliam, fratres,
audio Prophetæ eiusdem, & eiusdem Domini longè dissimilem visionem.
Siquidem Esaias iste est qui in alio loco sic loquitur ^b: *Vidimus eum, &*
non erat ei species neque decor, & estimavimus eum tanquam leprosum, &c.
Ubi illud primum considerandum est, quòd communis illa, hæc Prophe-
ticæ prærogativæ propria videatur. Non sine causa sanè ibi, *vidimus*, scri-
ptum est: & hic, *vidi*: nisi ut illam quidem intelligas esse communem,
hanc verò excellentiæ singularis. Siquidem absque specie & decore vidit
eum & sprevit Herodes: viderunt quoque ipsi Judæi, qui & dinume-
raverunt

*Visio D E I
duplex in ma-
iestate,
& humilita-
te.*

b Esai. 53. 2

Sermones S. Bernardi,

H h h

raverunt

raverunt omnia ossa eius. Jam verò super hac visione beata manifestè
d Isai. 26. b Propheta denunciatus ait *d*: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei.*

Multifariè ergo multique modis non solum locutus in Prophetis,
 sed & visus est à Prophetis. Agnovit eum David minoratum ab Ange-
 lis *e*, Hieremias etiam vidit eum cum hominibus conversantem *f*, Elai-
 as modo super solum excelsum, modo non solum infra Angelos, aut in-
 ter homines, sed tanquam leprosum se vidisse testatur ***, id non in carne
 tantum, sed in similitudine carnis peccati. Tu quoque si desideras videre
 sublimem, humilem prius Jesum videre curato. Intuere prius exaltatum
 in deserto serpentem, si videre desideras regem in solio residentem. Ita
 te humiliet visio, ut illa exaltet humiliatum. Reprimat & sanet ista tu-
 morem tuum, ut illa repleat & satiet desiderium tuum. Exinanitum vi-
 des? non sit ociosa visio, quia exaltatum ociosè videre non poteris. Si-
 milis eris illi, cum videris eum sicuti est *g*, esto & nunc similis ei videns
 eum sicut propter te factus est. Si enim ne in humilitate quidem simili-
 tudinem eius abnuis, certa tibi sublimitatis quoque similitudo debetur.

*Christus prius
 in humilitate
 videndus, an-
 tequam vi-
 deatur in glo-
 ria.*

*Patientes mo-
 do cum Chri-
 sto tandem re-
 gnabunt cum
 ipso.*

h Luc. 22. c
*Meditatio &
 imitatio Chri-
 sti patientis
 commèdatur.*

Nunquam ille socium tribulationis à communionem gloriæ patietur ar-
 ceri. Denique usque adeo non dedignatur passionis tuæ contortem & in
 regnum mittere secum, ut in cruce confitens Latro eadem die cum eo
 fuerit in paradiso. Hinc est quod ait etiam ad Apostolos: *Vos estis qui per-
 mansistis mecum in tribulationibus meis, & ego dispono vobis regnum* *h*. Quia
 ergo si compatimur, & conregnabimus, sit interim meditatio nostra, Fra-
 tres, Christus, & hic crucifixus. Ipsum ponamus signaculum super cor,
 signaculum super brachium nostrum. Ipsum amplectamur brachiis qui-
 buidam vicariæ dilectionis, ipsum sequamur studio piæ conversationis.
 Hoc enim iter quo ostendatur & nobis ipse, qui est salutare DEI: sanè
 non jam sine specie & decore, sed in claritate tanta, ut maiestas eius re-
 pleat orbem terrarum.

Opportunè siquidem visione prima tanquam hyemali adhuc tem-
 pore non super solum, sed in inferiori atque humiliori habitatione vide-
 tur. Duplicem quippe solet habere magna domus quælibet mansionem,
 æstivam superius, inferius hyemalem. Igitur dum ipsa etiam disci-
 pulorum corda brumali adhuc glacie stringerentur, & Petrus quo-
 que non minus gelido corde quam corpore calefaceret se ad prunas,
 tempus omninò non erat habitandi in solio, vel potius apparen-
 di. At ubi cantabitur canticum novum *i*: *Hyems abiit & recessit,
 flores apparuerunt in terra nostra*: opportunè jam tunc ascendetur in soli-
 um: & habitabit Dominus in excelsis. Puta ergo Isaiam cum hæc loquere-
 tur, illius gloriam temporis oculo prævidisse Prophetico, *Vidi* (inquit *k*)

i Cant. 2. c

k Efa. 6. a

Dominum

De Verbis Esaiæ Prophetæ, Sermo II. 429

Dominum sedentem super folium excelsum, &c. Sed quid putamus quale est folium istud, fratres? Neque enim Altissimus in manifestis & manufactis inhabitat. Nulla omnino materia corporalis apta tanto folio, tanto habitatori videtur. Vivis est construenda lapidibus fabrica spiritualis, quam vera & æterna vita sua inhabitare dignetur. Quod si minis tanto ædificio sufficit Angelica creatura, prævaricatorum utique minorata præcipitio, suscitetur certe de terra inopem, & folium gloriæ compleat. ¹ Et fortassis propterea ipse qui vidit, non modo excelsum folium, sed & elevatum quoque describit, ut proinde & Angelorum stabilis celsitudo, & hominum misericors elevatio designetur. Quæ sequuntur, diligentiorum & ipsa considerationem desiderare videntur; sufficiat hodie vel cœpisse,

¹ Psal. 112. a

S E R M O II.

De Verbis Esaiæ Prophetæ.

Plena erat (ait contemplator noster de eo quem super folium viderat) ^a maiestate eius omnis terra. Adveniat regnum tuum, ut maiestate tua sicut cœlum repletur, repleatur & terra. Ut quidem enim princeps huius mundi tanto ubique furore debacchatur, nisi quia terra data est in manus impij? Sed & hæc est hora eius, & potestas tenebrarum. Erit certe quando qui in cœlo locum non habuerit, & ab ipsa quoque terræ superficie exturbabitur, miser cavernis utique subterraneis recludendus. Hinc quoque Propheta David sanctorum prosperitate præmissa de maligno & Angelis seu membris eius adiecit & ait ^b: *Non sic impij, non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ.* Nulla jam nunc tentandi facultas erit, inquietandi nulla libertas, possibilitas nulla nocendi. Replebitur maiestate eius omnis terra, quando jam voluntatis eius transgressio nulla erit. Magis autem quando creatura ipsa liberabitur à servitute corruptionis huius, propter quam ingemiscit & parturit usque adhuc. Erit enim cœlum novum & terra nova: ut quaqua verteris oculos, in ipsa tibi rerum facie divina videatur quodammodo resplendere maiestas.

^a Isai. 6. a

Terra maiestate Domini replenda excludo ab ea Satana.
^b Psal. 1. b

Sed & est tibi altera quædam terra propinquior, & super hanc amplior justiorque sollicitudo. Nemo quippe carnem suam odio habuit ^c. Consolare ergo eam, ut & ipsa requiescat in spe: audiens nimirum quia replebitur maiestate Domini omnis terra. Quomodo enim nunc carnem nostram, dilectissimi, maiestas divina repleat, cum & magnus ille Paulus primitias tantum spiritus habens ingemiscat miserabiliter factis, & dicat ^d: *Scio quia non est in me, hoc est in carne mea, bonum?* Et certe jam non dominabitur peccatum in eius mortali corpore. Nota

^c Ephes. 5. f

Terra corporis nostri replenda quoque maiestate Domini.

^d Rom. 7. d

H h h 2

tamen

*• Ibid. b^r
f Rom. 7. b*

g Philip. 2. d

*Carnis casti-
gatio & mor-
tificatio spe-
ctat ad ipsius
carnis gloriã.*

*Angelos su-
perbos Cælo
Deus expulit,
utique non
admissurus
homines.*

*Superbia quã
aliena & ini-
misa cælo.*

• Psal. 112. a

tamen adhuc, & corpus mortale perhiberi ^e, & peccati quoque solum do-
miniū negari. Erat enim etiam tunc lex peccati in membris eius ^f, quam
quidem maiestatis plenitudo cum venerit, prorsus excludet. Non solum
autem, sed & novissima inimica destruetur mors. Replebitur ergo maje-
state Domini terra nostra, quando prorsus de medio fiet & peccati omnis
sensus, & debitum mortis. Replebitur, inquam, omnis terra nostra, Do-
mini maiestate, quando resurrectionis gloria vestietur, induet immorta-
litate stolam, configurabitur denique claritati corporis Christi. Salvato-
rem siquidem expectamus qui reformabit corpus humilitatis nostræ con-
figuratum corpori claritatis suæ ^g. Quid adhuc murmurat caro misera,
quid adhuc recalcitrat, & adversus spiritum concupiscis? Si te humiliat,
si castigat, si redigit in servitutem, id profecto in tuo genere non minus tua
interest quàm ipsius. Quid eis invides, qui de operibus vermium & mu-
rium pellibus ingloriam planè gloriam mendicare non erubescunt, cultu
indigno viris interdicto & mulieribus, semetipfos dehonestantes potius
quàm ornantes? Reformet ipsi, aut magis certe deformet corpora
sua, te (si fueris corpus humilitatis) reformabit idem artifex qui
formavit. Illam (si non desipis) præstolare manum, ut quod fecit ipsa
reficiat.

Jam vero quid in ipsa prophetica visione sequatur attende. *Et ea,*
• Isa. 6. a inquit ^b *quæ sub ipso erant, replebant templum.* Propterea sane dixit, Hu-
miliare sub potenti manu Dei, ut exaltet te in tempore visitationis. Vide
ut sub ipso inveniaris, alioquin non esse poteris cum ipso. Quid enim
putas, indifferenter admittent homines in illud tantæ beatitudinis tem-
plum, qui ne ipsos quidem Angelos indifferenter reliquit in eo? Aut non
discernet inter glebas, qui discrevit inter stellas? Examinabit certè argen-
tum, qui ipsum quoque aurum probavit & reprobavit. Quis ergo
putas necesse est hominem inveniri, qui repudiati locum Angeli sortiatur?
Planè immunem ab omni iniquitate, sed ab ea maximè quæ in ipso quo-
que Angelo, non ad levem offensam, non ad momentaneam iram inven-
ta est, sed ad odium sempiternum. Semel turbavit superbia regnum illud,
conculsit muros, etiam prostravit ex parte, & parte non modica. Quid er-
go? Facillene deinceps admittenda videtur? Nunquid non odit civitas
illa & vehementer huiusmodi pestè abominatur? Certi estote, Fratres, eum
qui superbis non pepercit Angelis, nec hominibus parciturum. Non est
contrarius sibi ipsi, non est personarum acceptor, similia sunt iudicia eius.
Sola ei placet humilitas sive in Angelo, sive in homine: & qui sedet in
throno, solos eligit subditos, è quibus repleat templum. Scriptum quippe
est ⁱ: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit
in cælo*

De Verbis Eſaiæ Prophetæ, Serm. III. 431

in celo & in terra? Vide autem ne forte Michaelis verbum sit, ſuperbo illi dicenti ^k: *Similis ero altissimo: in faciem reſiſtentis.* Michael quippe interpretatus dicitur, *Quis ut Deus?* k Ifa. 14. d

Benè ergò Propheta cum dixiſſet vidiffe ſe *Dominam ſuper ſolium excelsum & elevatum*, ne fortè aut excelsum intelligeres de eo dictum qui ait ^l: *Ascendam ſuper altitudinem nubium: aut elevatum referres ad eos homines qui in ſuperbiam eriguntur: addit. Et ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum: ut manifeſtè intelligas non eam altitudinem commendari quæ extollitur adverſus eum, ſed eos in templo ſive in folio fore, qui ſub eo ſunt, alios quidem excelsos ſtabilitate ſolida, alios ex imo levatos miſeratione divina. Ac ne forte obijcias ditioni ejus univerſa ſubefſe, nec quicquam determinationis habere quod ait, quæ ſub ipſo erant, ut ſolam quæ voluntaria eſt, & ex fervore charitatis procedit, approbaret & commendaret Dei ſubjectionem, addidit & de Seraphim, de quibus & nos loco ſuo dicemus, quod ab eo fuerit datum.* Ibid.

Et ea, inquit, quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Ab initio ſiquidem creaverat Angelos Deus, in quibus beati illius templi plenitudo conſtaret, ſed non in omnibus beneplacitum eſt ei, quia *& in ipſis* (ut ſcriptum eſt ^m) *Angelis ſuis reperit pravitatem.* Fuit quippe in eis qui dice-
ret habuit. *Ponam ſedem meam ad Aquilonem* ⁿ: & populum qui ſibi crede-
ret habuit. Miſer ipſe, qui ſine Deo eſſe maluit quàm ſub Deo; mi-
& vacuus relictus eſt locus, quem accipiet alter. Nonne Deo ſubjecta
eris anima mea? Alioquin nec tibi locus erit in templo, quia quæ ſub ipſo
erant, replebant templum. Fruſtra pulſabunt fatuæ virgines, in vanum
clamabunt ubi impletæ fuerint nuptiæ diſcumbentium, & janua clauſa
erit. Infelix anima cui à nuptijs illis contigerit excludi. Infelix de quo
clamabitur: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Ut quid enim lu-
cem hanc temporalem miſer ille videt, qui gloriam illam non merebitur
intueri? Utinam nihil unquam vidiffet oculus meus, ſi illa (quod avertat
Deus) fruſtrandus eſt viſione. Eant ſuperbi, inſoleſcant magis, extol-
lantur, inſentur, appetant ſemper in cumulo apparere: ut cum vene-
rit æquitatis linea, à plenitudine eiſciantur. Tu verò non ſic, ſed Deo
ſubjecta eſto anima mea, ſubjecta ſane ex animo, ſubjecta cum fervore de-
votionis, quia *Seraphim ſtabant ſuper illud.* Cum quibus ſtemus & nos
hodie, fratres, nec dimoveamur à templo iſto, in quo omnes dicunt glo-
riam, quia gloriam contemplantur Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt ſu-
per omnia Deus benedictus in ſæcula, Amen. m Job. 4. d
n Ifa. 14. d
Angelorum
ſuperborum
inſelicitas.

S E R M O III.

De Verbis Esaia Prophetæ.

NON vobis arbitror excidisse de duobus Seraphim hodie nobis habendum esse sermonem propter illud Isaia^a: qui postquam Dominum sese vidisse testatus est super solium residentem, addidit *Seraphim stare super illud*. Seraphim quidem, dilectissimi, sicut frequenter audistis, nomen est supernorum spirituum, ordinis unius de novem summi atque supremi. Verum hoc loco, ut arbitror, non in ea ponitur significatione, præsertim cum innumera illa sint agmina, hic duo tantum Seraphim describantur.

Per duo Seraphim, intelligitur creatura Angelica & humana.

Luc. 12. f. Christus ad reparandas ruinas Angelorum novos in terra condit Angelos, imò Seraphim, i. e. homines igneos. Esa. 14. d.

Lucifer lucem habuit, sed non ardorem.

Et ego quidem, fratres, si licet in hac parte unicuique abundare in suo sensu, in duobus Seraphim duplicem arbitror intelligi creaturam rationabilem, angelicam scilicet & humanam. Nec mireris hominem Seraphim factum, memento quia creator & Dominus Seraphim factus est homo. Ad Contumeliam tuam, ô superbe, qui creatus inter Angelos, inter Angelos stare non meruisti, ecce rex noster novos in terra Angelos fabricaturus advenit. Atque ut tabescat amplius, & livore proprio torquearis; non qualescunque, nec inferiores alicujus ordinis Angelos, sed Seraphim. Audi enim quid ipse loquatur, *Ignem, inquit, veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* Vult ergò Seraphim fabricari, ut ibi stent, unde tu corruisti. *Seraphim, inquit, stabans super illud*. Ut quid ergo tu qui mane oriebaris Lucifer, in veritate non stitisti, nisi quia Seraphim non fuisti? Seraphim quippe Ardens vel Incendens interpretatur. Tu vero habuisti miser lucem, sed ardorem non habuisti. Bonum erat tibi si ignifer magis esses quam lucifer nec tam immoderato appetitu lucendi, ut eras frigidus ipse, frigidam quoque eligeres regionem. Dixisti enim: *Ascendam super altitudinem nubium, sedebo in lateribus Aquilonis*. Quid festinas mane oriri Lucifer? quid gloriaris super sidera, quibus aliquando clarius rutilare videris? Brevis omnino erit gloriatio tua. Sequitur sol justitiæ, quem te esse vana simulatione jactabas, cujus fervore pariter & splendore in nihilum redactus omnino dispareas. Frustra quoque paras venturum in fine sæculorum Dominum, tanquam veri solis ortum in damnato illo quem assumpturus es homine prævenire, & extolli super omne quod dicitur aut colitur DEUS: quia & tunc adventus ejus illustratione penitus destrueris.

Quàm melius (& certe non ad insipientiam sibi) Joannes Baptista, siquidem & ipse lucifer fuit, non sua præsumptione, ne ipse fur esset & latro,

De Verbis Esaiæ Prophetæ, Sermo III. 433

latro, sed Dei Patris auctoritate præmissus est ante Dominum. *Ecce, inquit* ^d, *mitto angelum meum ante faciem tuam &c.* Habes & in Psalmo de eodem ^e: *Paravi lucernam Christo meo.* Ille enim erat lucerna ardens & lucens, & voluerunt Judæi ad horam exultare in lumine ejus, sed non ipse. Unde ergo? Ipsum interroga, ipse de se loquatur. *Amicus, inquit* ^f, *sponsi stat, & gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Stat ergo Joannes: neque enim arundo est vento agitata. Stat quia amicus, stat quia ardens est, & Seraphim stare describuntur. Vere amicus sponsi, qui procedentis de thalamo suo non æmulatur gloriam, sed parat viam, sed prædicat gratiam: ut & ipse de plenitudine ejus accipere mereatur. Lucet ergo Joannes, tantò utique clarius, quanto amplius fervet, tantò verius, quantò minus appetit lucere. Fidelis lucifer, qui Solis justitiæ non usurpare venit, sed prænunciare splendorem. *Non sum ego* (inquit ^g) *Christus, venit fortior me post me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus.* Et illud: *Ego baptizo vos aqua, ille baptizabit vos spiritu sancto & igne.* Ac si manifestè Lucifer dicere videatur. Quid admiramini intuentes splendorem meum? Non sum ego sol, longè alium videbitis eum: in ejus comparatione tenebræ sum, & non lux. Ego tanquàm sidus antelucanum maturino vos rore perfundo, ille emittet in fervore radios suos, solvet glacies, palludes ficcabit, argentes calefaciet, pauperibus erit pro vestimento. Nec sane dissonat à verbo judicis vox præcursoris, sed manifestè ignem à Ioanne promissum, Christus exhibuit dicens ^h: *Ignem veni mittere in terram.*

Dicas fortassis in igne ut fervorem, sic & splendorem esse. Non contendo, licet fervor ei quodammodo substantialior videatur: ipsum potius audiamus quid magis in igne commendet. *Ignem* (ait) *veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat?* Cognovisti certe quid velit. Sed ne illud quidem ignoras, quod vita in voluntate ejus ⁱ, & servus sciens nec faciens Domini voluntatem, plagis plurimis habeat vapulare ^k. Quid lucere festinas? Nondum illud advenit tempus in quo fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum. Interim perniciosus est iste appetitus lucendi: fervere enim multo melius. Denique si tam vehementer splendorem desideras, quod videri vis, esse curato, & primum quære fervorem, nec dubium quin & splendor adijciatur tibi. Alioquin in cassum laboras; quia vanus splendor, absque fervore. Mutuata aut magis certè simulata lux est quæ non ab igne procedit. Quod autem alienum est, ad modicum poteris usurpare. Erit major confusio, quod non erat tuum, tuum voluisse videri. Luna (ut aiunt) habet absque fervore splendorem, sed & ipsum mutuatur à sole, ideoque tam

^d Luc. 7. d
^e Psal. 131. c
^f S. Joannes lucerna non tantum lucens sed & ardens.
^f Luc. 7. c

^g Ioan. 3. d
Ioannes Christi gloriam sibi non usurpat.

^h Luc. 12. f

ⁱ Psal. 29. b
^k Luc. 12. f

Præposterum splendoris desiderium sine fervore.

Eccli. 27, b tam frequenter, imò & semper mutatur, nec unquam in eodem statu permanet. Sic profectò stultus ut luna mutatur, sapiens permanet ut sol. Ille, inquam, stultus qui in decore suo perdidit sapientiam, id est, qui refriguit in splendore.

Cecidit ergo Lucifer ut fulgur de cœlo; Seraphim verò stabant super illud. Stant plane Seraphim: quia charitas nunquam excidit. Stant attoniti & suspensi in contemplatione sedentes in throno, stant in æterna incommutabilitate & æternitate incommutabili. Tu sedere tentasti ô impie, propterea tui moti sunt pedes, & effusi sunt gressus tui. Filius est qui sedet in throno, Dominus Sabaoth, cum tranquillitate iudicans omnia. Sola sedet Trinitas, quæ sola habet immutabilitatem, sola est apud quam non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Seraphim verò stant immutabiles quidem, sed suo modo, non in eius comparatione. Stant extendentes se & intendentes in eum in quem prospicere concupiscunt. Qui sedere præsumpsit, seipso voluit esse contentus, unde solam hodie quoque malitiam esurit: quia solam habet hanc à semetipso. Cum loquitur mendacium, de proprio loquitur; quia mendax est, & pater ejus. Quod audis de verbo mendacij, intellige & de opere malitiæ. Et licet male sibi in malo placeat, sufficere tamen sibi nunquam poterit nec in ipso. Sola proinde sedet Trinitas summa, quæ sola in se est, & ideo sola vera est: sola se fruitur, sola nullius eget, sola sufficit sibi ipsi.

S E R M O I V.

De Verbis Esaia Prophetæ.

Um dixisset Propheta: *Et Seraphim stabant*: adjunxit deinde & ait: *Sex alæ uni, & sex alæ alteri*. Quid tibi volunt alæ istæ, Fratres? Ergone etiam cum hiems transierit, sedebit rex super solium, volandum adhuc erit & ipsis Seraphim, ut possint diversis occurrere necessitatibus diverforum, ab imminentibus liberare periculis, opem ferre laborantibus, in tribulatione positos consolari? Absit ut in illo æternæ beatitudinis regno necessitas aut periculum aut labor aut tribulatio sit, cui oporteat subveniri. Ad quid ergo tunc alæ? Placet mihi statio illa, omninò sic volo manere, ne aliquid prorsus admitto quo mihi stabilitas illa depercat. Veruntamen icio beate Isaia, quòd Propheta es tu, & spiritum ejus habes qui abundantia pietatis excedit hominum non modo merita, sed & vota. Salva mihi sit illa tam amata stabilitas: jam si quid alæ istæ ad beatitudinem addiderint, non recuso. Credo autem sicut in statione immutabilitatem, sic & in volatu alacritatem promittit, ne videlicet insensibilis

fibilis quædam, & quasi lapidea stabilitas æstimetur. *Sed dicas.* Et si alas habere necesse est, quare tam multas? Quid sibi vult multiplicitas ista pennarum? Audi quod sequitur. *Duabus alis velabant caput, duabus pedes, duabus volabant.* In quibus verbis videre mihi videor, quod de statione dictum est, volatu manifestius explicari. Quò enim Seraphim volant, nisi in eum cuius ardent amore? Vide flammam quasi volantem & stantem simul, nec miraberis jam Seraphim stantes volare, stare volantes.

Sed quia diximus quò volant, ipsas quoque quibus volant, alas exigere religiosa curiositas vestra videtur. Certius posset & credibilius testimonium perhibere, cui datum est & videre. Ego tamen opinor non incongrue pennas istas *agnitionem & devotionem* intelligi posse, quibus in eum qui supra ipsos est, Seraphim rapiuntur. Levat quippe cognitionis ala, sed sola non sufficit. Ruit citius qui una tantum ala volare contendit: & quo magis attollitur, pejus colliditur. Experti sunt hoc philosophi gentium; qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum, glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum ^b. Denique traditi in reprobum sensum, usque in ipsas etiam passionem ignominie corruerunt. Adeò vera probatur illa sententia ^c. *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.* Sic & zelus absque scientia, quo vehementius irruit, eo gravius corruit, impingens nimirum atque resiliens. Ubi vero intelligentiam charitas, agnitionem devotio comitatur, volet securè quisquis ejusmodi est, volet sine fine, quia volat in æternitatem.

Jam super ea quæ præmittitur capitis & pedum velatione, extat à Patribus probata sententia, Dei caput pedesque velari, eo quod lateat quid ante mundum fuerit, quidve futurum post consummationem. Et hoc quidem pro eo, quod distinctè in latinis codicibus scriptum est, *Caput ejus, & pedes ejus.* Testatur autem interpret noster in Hebræo verbum esse commune, quòd interpretari possit, ejus, & suam, ut Seraphim juxta Hebræi sermonis ambiguitatem, vel faciem, pedesque Dei, vel suam faciem ac pedes operire dicantur. Unde & mirum videri potest, cur è duobus eum magis in interpretatione elegerit sensum, quem visionis ipsius consequentia minus videtur admittere, ut videlicet & velarent pariter caput pedesque sedentis, nisi quod Origenis expositionem secutus est in hac parte.

Quod si de ipsis quoque Seraphim licet accipere, sic pinge ea, ut aperto capite & pedibus, solum appareat corpus medium, sed & ipsum quoque non penitus, propter eas nimirum alas quibus volare perhibentur. Considero siquidem quasi quoddam caput, corpus, & pedes meos in verbis Apostoli, quibus ait ^d: *Quos enim præscivit & prædestinavit conformes*

Sermones S. Bernardi.

I i i

mes fie-

Alarum
multiplicitas
quid sibi velit.

Cognitio &
devotio ala
quibus in
Deum rapi-
mur.

b Roma. r. c

c Iacob. 4. d
Securè vola-
tur ubi scien-
tiam charitas
comitatur.

Capitis & Pe-
dum velatio
quid significet.

Interpretatio
duplex.

d Rom. 8. f

*Prædestina-
tionis opus
universum so-
li gratiæ tri-
buendum.*

*mes fieri imaginis filij sui : & quos prædestinavit, hos & vocavit. Quos au-
tem vocavit, hos & justificavit. Et quos justificavit, hos & magnificavit. Ita
initium meum solius gratiæ est, & non habeo quid mihi in prædestina-
tione attribuam sine vocatione. Non sic sanè ab opere justificationis, a-
lienus sum, operatur & illud gratia, sed plane mecum. Vidésne quemad-
modum Seraphim in medio appareat aliquatenus? Porrò consummatio
quidem & ipsa solius gratiæ est: nec est mihi in hac parte, vel cum ea, sive
in ea gloriari, quasi coadjutor videar aut cooperator. Velat itaque Sera-
phim caput suum duabus pennis, si & veraciter cognoverit & humiliter
fateatur quia misericordia eum sola prævenit. Velat & pedes alis æquè
duabus, si misericordiæ quoque quæ subsequitur est, nec ignarus extiterit
nec ingratus. Quam sane capitis & pedum velationem, & nunc quoque
negligere non oportet, licet tunc maxime perficienda sit quando Iudex
sedebit super solium, & astantes sibi Seraphim & agnitione veritatis sub-
tilius illustrabit, & inflamabit vehementius charitatis ardore. In quorum
numero indignos nos servos nominis sui, ipsa de qua locuti sumus con-
stituere dignetur misericordia, quæ ab æterno est & usque in æternum su-
per electos, in medio quidem aliquatenus ostendens liberum arbitrium,
meriti gratiæ, principium & finem omninò soli vendicans sibi: ut sit no-
bis Alpha & Omega Dominus Deus noster, & pro utroque jure clame-
mus. *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam, Amen.**

e Psal. 113. b

S E R M O. V.

De Verbis Esaiæ Propheta.

*Christus ex
Patre,
In Patre, &
cum Patre.*

*In Patre &
Filio, & sub-
stantiæ unitas,
& gloria æ-
qualitas.*

Commendant nobis sacræ litteræ Christum Dominum & ex Patre, &
in Patre, & cum Patre, & à Patre, & pro Patre & etiam sub Patre. Quod
dicitur, *ex Patre*, ineffabilis est nativitas: quod *in Patre*, consubstantialis
unitas: quod *cum Patre*, æqualitas majestatis. Sane enim tria hæc ab æ-
terno. Cæterum si ex Patre nascens, quid in Patre, aut cum Patre? Non
incongruè forsitan in Patre cubans, cum Patre sedens dicatur. Et audite
confessus & hujus accubitus rationem. Sicut enim sessio majestatem, sic
confessio æqualitatem exprimit majestatis, præsertim cum sit ei sedes à
dextris Patris, non sane sub pedibus, vel quasi à tergo. Et federe quidem
jam quiescere est, sed jacere magis. Quid autem delectabilius & quodam-
modo dulcius esse videbitur Filio, quod in Patre est, an quod cum Patre
omnibus præest? In quo putas horum summa illa pax Dei, quæ exuperat
omnem sensum, & singularis requies Domini competentius assignetur?
Et si dignè ore id exprimi nequeat, corde tamen forsitan piè concipitur:
ut salva

De Verbis Esaiæ Prophetæ, Sermo V. 437

ut salva quidem in omnibus illius invisibili simplicitate essentia, inter gloria æqualitatem, & substantiæ unitatem, velut similis quædam ei, quæ inter confessum & accubitum est, cogitari posse distinctio videatur.

Denique parum videtur sponsæ videre sedentem, cubantem sibi flagitat indicari. *Indica mihi ait^a, quem diligit anima mea, ubi cubes in meridie.* Sed & animæ omni quæ sanum sapit, dulcius sapit per omnem modum quod Apostolus ait^b. *Qui adhæret Deo, unus spiritus est:* quàm quod Apostolis dicitur. *Cum sederit rex in sede majestatis suæ, sedebitis & vos judicantes:* haud minus utique jucundior sessione cubatio. *Ego in Patre, ait Filius, & Pater in me est.* Non potuit expressius substantiæ unitas commendari. Ubi enim uterque in altero, nihil quasi exteriorius licet, nihil interius cogitari, simplicissimam magis credi necesse est in ambobus substantiæ unitatem. Veruntamen aliquatenus huic simile est quod dicitur^d: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo:* nisi quod hic quidem spiritualis quædam unio, secundum quod supra memoravimus. *Qui adhæret Deo, non quidem unum, id est non una substantia, sed unus spiritus est:* illic vero naturalis potius & substantialis unitas designatur. Unde & habes in Evangelio^e. *Ego & Pater unum sumus.* Illud proinde juxta præfatam similitudinem tanquam cubiculum unigeniti, & quasi summa quædam Domini requies est. Nos quoque per hanc voluntatem unionem, & adhæsiorem spiritus, quam nimirum charitas facit, pro nostro quidem modulo, in hoc suum cubiculum, & in suam requiem factus etiam primogenitus introducit.

^a Cant. 1. b

^b Cor. 6. d.

^c Matth. 19. d

^d 1. Ioan. 4. c

^e Ioan. 10. f

Iam vero quod dicitur à Patre, ambulanti significat, & ad eum quem proximè ipso præstante celebraturi sumus, spectat incarnationis ejus adventus. Hinc nimirum & ipse ait^f: *Ego enim à Deo processi & veni.* In terris denique visus, & cum hominibus conversatus medius nostrum, quem nesciebamus stetit^g, verus quidem Emmanuel, nobiscum Deus, nobiscum stans, sed pro Patre. Quod enim nobiscum stetit, adjutorium, quod pro Patre stetit, zelum designat. Paternam namque quærebat in omnibus gloriam, cujus & venerat facere voluntatem. Cæterum si pendenti consideres, si Christum & hunc crucifixum attendas, ibi maximè evidentissimèque eum sub Patre reperies: hoc enim proprie ac specialiter ad humanæ pertinuit naturæ humilitatem; secundum quam ipse ait^h: *Pater maior me est.* Dicerene audebimus quòd aliquando fuerit etiam sine patre? Nemo id præsumeret, si non prior ipse dixissetⁱ. *Deus meus Deus meus ut quid dereliquisti me?* Quasi quædam enim ibi derelictio fuit, ubi nulla fuit in tanta necessitate virtutis exhibitio, nulla ostensio majestatis.

Christus à Patre;

^f Ioan. 8. e

^g Ibid. 1. d

Pro Patre; &

sub Patre;

^h Ioan. 14. c.

ⁱ Matth. 17.

¶ Isa 6. a

¶ Ibid. 53. a

¶ Ibid. b

Diversimoda
Christi visio
apud Isaiam.Sedere, domi-
nationem no-
tat.Solum, cui
vidit insiden-
tem Domi-
num Isaius,
quale?

¶ Psal. 32. b

Habemus itaque Christum ex Patre *nascentem*, in Patre *cubantem*, cum Patre *sedentem*, à Patre *ambulantem*, pro Patre *stantem*, sub Patre *pendentem*, sine Patre quodammodo *morientem*. Quonam igitur modo ex his vidisse eum credemus Isaiam, cum diceret ^k: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum?* Longe enim per omnem modum dissimilis ea visio fuit, de qua alibi idem Propheta ^l: *Vidimus eum*, inquit, *& non erat ei species neque decor: & estimavimus eum tanquam leprosum, & percussum à Deo & humiliatum*. Idem utrobique vidit eundem, sed non vidit eodem modo, ac per hoc quodammodo non eundem. Ibi enim vidit eum lividum plagis, saturatū opprobriis, afflictum suppliciiis, lacessitum injurijs. Vidit denique contemptibilem, vidit pendentem, vidit propter nos morientem, & ait ^m: *Attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus*. Ibi inquam novissimus virorum apparuit despectus: hic autem erat plena omnis terra majestate ipsius. Ibi vir dolorum, & sciens infirmitatem hinc Dominus sedens. Et illa quidem communis visio verbo pluralis numeri designatur, hæc autem tam singularis est, quàm sublimis. Ibi ergò tanquam unus de multitudine, *vidimus* ait: hic verò tanquam solus & solitarius levans se supra se, *vidi*, inquit, *Dominum sedentem &c*. Sane competenter *Dominus* dicitur, qui sedere conspicitur. Sedere enim præidentis est, sedere dominantis est & regnantis. Maxime vero sedere super solium, dominationem notat: nam sedere simpliciter, aliquando & humiliationem. Cæterum ut prædiximus, qui in Patre cubat delicias, cum Patre imperans sedet, ibi sponsus amabilis, ibi Dominus admirabilis. Denique gloriosus Deus in sanctis suis, mirabilis in majestate sua.

Vidi, inquit, *Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum, & plena erat omnis terra majestate ejus: & ea quæ sub ipso erant, replebant templum*. Quæ enim sub ipso erant? Nunquid ipsum quod dixerat solium quamlibet excelsum & elevatum, sub ipso tamen nihilominus erat? Si enim ipse super solium sedens, solium plane sub ipso. Et quomodo illud replebat templum? Deinde quando & ipsa jam terra omnis plena est majestate ejus, quomodo templum adhuc vel unde repletur? Enim vero disce ex his quæ audis, solium non machinam imaginari corpoream, sed angelicam intelligere creaturam. Si enim sedis est sapientiæ anima justi, quàm dignior sedes angeli sancti? Hoc plane solium gloriæ ejus excelsum per naturam, sed multo magis per gratiam elevatum. Excelsos enim fecit eos natura conditionis, elevatos gratia confirmationis, de qua dicitur ⁿ: *Verbo Domini cæli firmati sunt*. Ea igitur agmina Angelorum in quibus sedet DEUS, & quæ sub ipso sunt, templum

templum replent, licet jam terra omnis ipsius plena sit maiestate. Ubique enim regnat, ubique imperat, ubique maiestas eius, sed gratia forte non ita. Non, inquam, ubique sicut potestas, sic & voluntas eius bona & beneplacens & perfecta. Alioquin quid est quod dicimus: *o Matt. 6. b*
Fiat voluntas tua sicut in caelo & in terra? Fit enim voluntas eius de omnibus, fit per omnes, non in omnibus tamen. In electis spiritibus fit voluntas Dei, quando eis efficitur cum ipso una voluntas. Hæc sane adhesio spiritualis unum spiritum faciens, sicut multitudinis quoque credentium cor unum & anima una legitur extitisse. *Et ea qua sub ipso erant, replebant templum p.* Replebant omni benedictione spirituali, replebant consolatione divina, replebant divitionibus gratiarum. Replebant denique fructu sanctificationis: siquidem domum tuam Domine decet sanctitudo. Replebant diversis charismatum donis, spiritu sapientiæ & intellectus, consilii & fortitudinis, scientiæ & pietatis, & replebant illud spiritu timoris Domini. *p Act. 4. f*

Seraphim stabant super illud. Nomen est ordinis angelorum summi atque supremi: ut merito stare super cæteros describantur: & ipsi tamen quamlibet cæteris præstent, astant nihilominus Domino præsidenti, devotum utique ministerium, & plenum reverentiæ obsequium exhibentes. Aliter enim Domini, aliter Angeli, aliter hominis intelligi convenit stationem. Stat Christus pro Patre zelans, Patris gloriam quærens, & tanquam fidelis Unigenitus, imò & Primogenitus Patris, zelo Patris adjuvans adoptivos. Sic illum Stephanus stantem vidit, quem habuit adiutorem: Sic Propheta in adiutorium eum surgere precabatur: *Exurge, inquit, Domine, adiuva nos.* Sane angelica statio ministratio est, dicente Propheta: *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Nam hominis quidem stare, persistere est in vigore animi, & observatione propositi. Sic Moyses stetit in confractione & in conspectu Domini ut averteret iram eius: sic stetit Phinees, & placuit. *q Act. 7. c*
seraphim stabant super illud. Quid sibi vult quòd non unum, non plurimos stantes vidisse se perhibet Propheta, sed duos? Duos siquidem ei apparuisse constat ex eo quod secutus adiunxit: *Sex ala uni, & sex ala alteri.* Et bene duo stabant. *Væ enim soli: quia si ceciderit, non habet sublevantem.* Væ tibi superbe spiritus, solitudinis & solitariae præsumptionis amator. Non stetisti in veritate, expulsus est pes superbiæ, stare non potuit. Solus sedere volens tanquam fulgur cecidisti de caelo, non habiturus aliquando sublevantem. *r Psal. 43. d*
Sex ala uni & sex ala alteri. Ad quid multiplicitas ista pennarum? *Quid duo seraphim.*
Duabus, inquit, velabant caput eius, & duabus pedes, & duabus volabant. *¶ Eccles 4*

*Quid multi-
plicitas pen-
narum.*

*Gen. 3. d
Gloria Domi-
ni Lucifero
post casum ab-
scandita.*

Ysa. 6. a

2. Iai. 26. b

*Duabus alis
naturæ &
gratiæ, seu
intellectu &
affectu Sera-
phini seruu-
sur in Deum.*

*Lucifer una
tantum alâ
volare ten-
sans cecidit.*

Grande mysterium, & profundum utique sacramentum. *Attentâs in vobis hæc verba desiderant aures, sed multo magis disertam in nobis linguam exigunt, maximèque animum spiritualem.* Dico vobis tamen ut-
cunque quod sentio, nec sane affirmans dico, sed coniectans quodammo-
do & opinans. Quid enim æstimare verat, deiecto Lucifero, ad pervigi-
les excubias Seraphim constitutos, sicut eiecto homine teste scriptura^x :
Cherubim ad custodiam posuit DEUS? Nec incongrue forsitan Cheru-
bim flammeus traditur gladius, ut à ligno vitæ incisio pariter & incensio
quibus nihil carni terribilius, manum prohibeant corporalem. Porro
Seraphim tantum alas accipiunt, quarum velamine arceant oculum spi-
ritualem. Denique *duabus*, inquit^y, *velabant caput eius, & duabus pedes*,
ut nec alta DEI, nec profunda eius iniquus ille valeat contemplari. Erit
cum revelabitur gloria Domini, sed non erit hoc nisi factum fuerit ante
quod scriptum est^z : *Tollatur impius ne videat gloriam Dei.* Interim sanè
velatur caput, velantur pedes, ut medium quidem aliquid eidem impio
videndum, sed ad invidendum utique relinquatur. Et velantur alis, quæ
nimirum sic illum arceant, ut istos sustineant & sustollant.

Quærendam tamen prius quibus alis volare dicantur, quia *duabus*,
inquit, *volabant.* Nec incongruè forsitan duas istas *naturæ & gratiæ* dici-
mus: præsertim cum prius quoque in hisipsis etiam solii celsitudo &
elevatio à nobis fuerit assignata. Vivaci siquidem per naturam *intellectu*,
& ferventi nihilominus *affectu* per gratiam in eum qui supra ipsos est ex-
tenti jugiter & intenti, stare quidem ut diximus per ministerium, sed &
volare per studium perhibentur. Licet enim velent caput Domini, ve-
lent etiam pedes, sed sibi ista non velant, magis autem sedulo volant &
volitant inter ista: & alta potentia eius, & profunda sapientia vestigan-
tes. Nec sanè scrutatores sunt majestatis ut proinde opprimantur à gloria:
quod non minus diligant, quàm intelligant, utpote quos ille regit & agit
spiritus qui scrutatur etiam alta Dei. Superbus ille Lucifer lucem præse-
rens non ignem habens alteri tantum innixus alæ, casum facere potuit,
non volatum. Exaltavit enim lucidus esse, non fervidus, non incensus,
quod Seraphim sonat. Non ergo stetit, quia contempsit: sed nec vola-
re potuit, quod præsumpsit. Sustulit eum naturæ vivacitas, sed in suam
plane perniciem, quippe quem defectus gratiæ mox dejecit. Nec disti-
milis sane eorum casus qui cum cognovissent DEUM, non glorificave-
runt aut gratias egerunt: quo tandem merito traditi sunt in reprobum
sensum, & obscuratum est insipiens cor eorum. Denique & ipsi eorum
principi interpositum est velamen, quod nulla jam naturæ vivacitate
pertranseat, ut ipsius qui solium sedet, caput apud pedes valeat intueri.

Siquidem

De Verbis Esaiæ Prophetæ, Sermo V. 441

Siquidem Seraphim stantes & astantes duabus alis caput velant, duabus pedes.

Non est corporalis divina substantia, nec in formam hominum membris distincta corporeis. Spiritus est DEUS: & quæ de eo dicuntur, spiritualiter vestiganda. Alioquin quis nobis revelabit hoc caput & pedes istos, quos geminis alis Seraphim velant, nisi spiritus ipse qui novit omnia quæ in eo sunt, & scrutatur etiam alta Dei? Ego enim opinor ipsa esse, quæ in loco *capitis* nomine designantur. Itaque secundum hunc sensum, *Caput* eius, maiestas eius, potestas eius, sempiterna virtus atque divinitas. *Caput* eius juxta illud propheticum; *Iustitia tua sicut montes Dei*. Nempe quod sequitur. *Iustitia tua abyssus multa*, non incongrue forte videbitur *pedum* posse appellatione signari. Sunt enim velut quidam pedes eius, investigabiles viæ eius, inscrutabilia judicia eius, profundum sapientiæ, & irreprehensibilis quædam, sed incomprehensibilis dispositio eius. Ad hos pedes ipsum quoque Dominicæ incarnationis mysterium specialiter cognoscitur pertinere, & omnis pariter operatio nostræ salutis. Cernere est quam sit iustitia illa sublimis, quam sicut montes Dei propheta esse miratur, Nostra enim (si quia est) humilis iustitia, recta forsitan, sed non pura. Nisi fortè meliores nos esse credimus, quam patres nostros, qui non minus veraciter quam humiliter aiebant: *Omnes iustitiæ nostræ tanquam pannus menstruata mulieris*^b. Quomodo enim pura iustitia, ubi adhuc non potest culpa deesse? Recta proinde interim videri potest iustitia hominum, si tamen peccato non consentiant, ut non regnet in eorum mortali corpore. Nam primi hominis in initio quidem non modo recta, sed etiam pura fuit, quandiu ei datum est nec sentire peccatum. Cæterum & hæc ipsa quoniam firma non fuit, & puritatem facile perdidit, & nec ipsam quoque retinuit rectitudinem suam. Sane apud Angelos iustitia recta, pura, & firma est, sublimis quidem; sed adhuc longe inferior quam divina. Non enim innata est eis, sed à Deo collata: ut natura ipsa, quod ex se est, non modo iustitiæ, sed etiam iniustitiæ capax inveniatur. Nunquid non ista est pravitas quædam quam in Angelis suis vera illa iustitia legitur invenisse^c? *Non enim iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, ait is qui Dei iustitiam minime ignorabat^d. Nec ait, omnis homo: sed, *omnis vivens*, fortè, ut nec ipsos angelicos eum noveris spiritus excepisse. Vivunt enim & ipsi tantò verius, quantò propius astant ei apud quem est fons vitæ. Nihilominus etiam iusti sunt, sed ex eo, non coram eo: munere eius, non in eius comparatione. Ipse enim sibi iustitia est, cuius voluntas non tam æqua quam ipsa æquitas. Et utraque non aliud quam ipsa substantia est. Illa ergo iustitia verissimè sicut mons est,

Nihil corporeum in DEO fingendum.

Caput Domini divinitas, maiestas, & potestas.
a Plal. 35. b

Pedes, iudicia.

* b Isa. 64. 2
Iustitia divina, humana, & Angelica differentia & imparitas.

c Job. 4. d
d Pl. 141. b

quæ

*Ala quibus
Caput DEI
velant Sera-
phim;*

quæ recta est, quæ pura est, quæ firma est, & ut ita dixerim, etiam sub-
stantia est. Quanta enim in hoc capite latet altitudo? Quanta gloria est,
quantâque sublimitas in hoc umbroso & condenso monte reposita?

*Admiratio
& venera-
tio.*

Quibus tamen putamus alis hoc caput Seraphim velant, ut nulla
suæ subtilitate naturæ, nulla rationis perspicacitate nequam oculus in il-
lius queat irrupere veri luminis claritatem? Duabus, ni fallor, alis;
suæ videlicet ipsorum gloriæ & felicitatis. Ineffabiliter siquidem dele-
ctantur in *admiratione* cōtemplationis illius, nec minus gloriantur in ipsi-
us *veneratione*. Iniquus ille admirationem quidem, sed non venerationem
habens, quia subdi noluit per venerationem, figi non valuit per admira-

*Altera harū
defuit luci-
fero.*

tionem. Denique admirationem ipsam in æmulationem convertit, nec
venerari dignatus, sed conatus est imitari. Quàm melius Seraphim sua
ipsa admiratione felices, veneratione etiam venerabiles fiunt, veram in
ipso habentes gloriam, cui servire regnare est, & apud quem omnis qui se
humiliat exaltatur? Et nunc audi quemadmodum his duabus alis ipsum
quod diximus caput Domini, ne iniquus ille inspiciat, velare Seraphim
videantur. Quotiens enim sursum dirigit aciem, in angelicam statim fe-
licitatem & gloriam malignus offendit, & offundit oculum pessimus hu-
mor, livor proprius, ut penetrare ultra non possit. Sic nimirum quasi
gemino quodam velamine ne sublimiora prospiciat invidus præpeditur,
ad illorum quos superiores habere dolet, modo quidem felicitatem, mo-
do gloriam, modo utramque simul, reverberata acie contabescens. Quis
enim tam gravis pruritus oculi quàm invidia est? Nec verò aliis livor
invidus quàm alienâ gloria & felicitate torquetur. Miseria enim (ut a-
junt) invidia caret.

*Quomodo his
alis velent
caput.*

*Invidi tormē-
tum gloriæ a-
liena.*

Sed & pedes Domini quibus nimirum impenetrabilem iudiciorum
eius abyssum, & dispositionis eius diximus vias investigabiles designari,
duabus æquè alis velant Seraphim. Ego autem dico, *prudentiâ & fidelita-
te*. Cum enim & fideles pariter ministri sint & prudentes, sic divina ne-
gocia gerunt, & saluti provident electorum, ut malignus ille deprehende-
re omninò non possit. Ex hoc pedum velamento factum reor, ut ne-
sciens Dominum gloriæ fecerit crucifigi: ex hoc quotidie fieri, ut salutis
nostræ negociis ignorans serviat & invitus, serò postmodum plangens
quod dum obesse voluit, inventus est profuisse. Sic nimirum per admi-
stratorios spiritus illuditur eius astutia, quòd & fideles sint qui detegere
nolint, & prudentes qui norint tegere divina erga nos providentiæ & di-
spositionis arcana.

*Diabolus ser-
vit electorum
saluti inscius
& invitus.*

Cæterum sicut è supremis duabis alis nequissimus ille admiratio-
nem habuit, sed non venerationem (ut diximus) sic è medijs quoque spi-
ritualem